PRAELECTIONES

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM

VILNENSI

A XII ANTE KALENDAS OCTOBRIS ANNI MDCCCXII
AD PRIDIE KAL. IVLII ANNI MDCCCXIII.

HABENDAE

INDICUNTUR

A

RECTORE ET SENATU ACADEMICO.

VILNAE,
TYPIS IOSEPHI ZAWADZKI
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

I.

PRAELECTIONES PHYSICORUM ET MATHEMATICORUM.

STEPHANUS STUBIELEWICZ, Phil. D. Physices Prof. P. O. diebus Lunae, Mercurii, Iovis et Saturni, ab hora IX ad XI^{mae} dimidium, cursum Physicae generalis explicaturus, praemissis notionibus de generalibus corporum proprietatibus, statim perget ad expositionem Mechanices solidorum, dein Staticae et Dynamicae liquidorum in genere: quibus absolutis sequentur tractatus de Calorico, Aqua, Aere, Electricitate et Magnetismo: tum ultimo loco veniet doctrina de Luce, quam per singulas eius partes accurate exponendo, Physices hunc cursum conficiet.

ANDREAS SNIADECKI, Phil. ac Med. Doctor, Reg. Soc. Litt. Varsov. Sodalis, Chemiae Prof. P. O. principia Chemiae universae ad Elementa nuper a se edita, novisque demum observationibus ac recentissimis experimentis aucta, in Laboratorio Chemico exponet, diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris ab horae XI^{mae} dimidio ad XII. ordine sequenti. Expositis primis Chemiae universae principiis, exponet primo theoriam ac leges affinitatum; tum tractatum de luce ac calorico; unde doctrinam generalem de fluidis aeriformibus ac de solutione derivabit. Quam expositionem tractatus de corporibus simplicibus seu non-decompositis, tam solidis quam aeriformibus, in specie excipiet. Ex proprietatibus vero gas oxygenii theoriam combustionis deducet; qua exposita mox aget de corporibus combustis, quae in oxyda acidaque perfecta et imperfecta dividet, eorumque proprietates singulatim indicabit. Dein de acido muriatico simplici oxygenato ac superoxygenato disseret, recentissimasque de eorundem natura opiniones scrutabitur. Simili ratione naturam alcalium ac terrarum examinabit, recentioraque experimenta, quae ea oxydis metallicis adnumerare suadent, enucleabit. Quibus absolutis, immorabitur aliquantum doctrinae de corporibus salinis, historiamque ac proprietates metallorum uberius exponet. Postremo Chemiam substantiarum organicarum aggredietur, expositisque generalibus principiis, de earundem analysi, differentiis, qualitatibus, usuque technico, oeconomico ac medico fusius disseret.

B. STANISLAUS JUNDZIŁŁ Phil. et Theol. D. Reg. Societ. Litt. et Oecon. Vars. nec non Caesar. Societ. Mosquens. Scrutat. naturae Sodalis, Botanices et Zoologiae Prof. P. O. primo tradet Zoologiam universam. Expositis nempe generatim de natura animalium notionibus, instituta que solita divisione in classes et ordines, juxta recentissimas observationes, genera omnia et species singulatim lustrabit, earumque patriam, mores, usus etc. indicabit. Peracto cursu hoc ad Botanicam transibit, ac, praemissa brevi disciplinae hujus historia, 1) ad Elementa a se edita exponet Physiologiam vegetabilium; 2) Terminologiam botanicam universalem; 3) instituet criticam variorum systematum analysin, methodum Linneanam prae ceteris scrutaturus; 4) denique ad plantarum, juxta methodum sexualem, indicationem practicam perget, cum Horti Botanici copiis instructus, tum excursiones, quas dicunt, botanicas cum auditoribus suis facturus; diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, ab hora II ad IV^{tae} dimidium.

THOMAS ŻYCKI Phil. D. Matheseos Prof. P. O. diebus Lunae et Jovis ab horae VIII^{vae} matutinae dimidio ad IX, diebus vero Martis et Veneris a IX ad XI^{mae} dimidium docebit 1) Algebram includendo omnes ejus partes: ubi non solum cum simplicibus sed etiam cum exponentialibus, radicalibus et imaginariis quantitatibus omnes operationes determinatae, indeterminatae atque superiorum graduum aequationes, series recurrentes, fractiones continuae, functiones transcendentes, logarithmi, alterumque etiam transcendendium genus Arcus circuli, simulque modi tabulas tam logarithmicas quam trigonometricas condendi, locum habebunt. 2) Applicatio eiusdem Algebrae ad lineas curvas, praecipue ad lineas secundi ordinis, sectionum conicarum nomine insignitas, ad alias etiam lineas transcendentes, secundum praesentem Matheseos in Europa statum eiusque exponendi methodum, instituetur. Imo praeter differentialem, integralem et variationum calculum, alteram Matheseos sectionem constituentem, quod solummodo ad perfectum absolutumque Matheseos purae cursum pertineret, nihil omittendum curabit.

ZACHARIAS NIEMCZEWSKI Phil. D. Societ. Ital. Sodalis, Matheseos sublimioris applicatae Prof. P. O. diebus Martis, Mercurii, Veneris et Saturni ab horae VIII^{vae} dimidio ad IX, exponet principia Calculi differentialis, nec non regulas differentiandi omnes functiones unius vel plurium variabilium tradet, atque usum ejusdem in inveniendis maximis et minimis quantitatibus functionum unius vel duarum variabilium, in investigandis proprietatibus Curvarum superiorum ordinum, demonstrabit. Abso-

luto calculo differentiali, perget ad Calculum integralem, ubi tractabit 1) de integratione functionum unius variabilis, qualescunque hae sint functiones, commensurabiles, incommensurabiles, integrae aut fractae, algebraicae vel transcendentes; 2) de integratione aequationum differentialium omnium ordinum, ubi agetur praecipue de separatione variabilium, de inveniendo factore, ope cujus aequatio differentialis in nonnullis casibus fit integrabilis, de solutionibus particularibus; 3) de integratione differentialium partialium omnium ordinum. Denique explicabit methodum Variationum, cujus latissimus est usus in Mechanica coelesti et analytica. Peracto iam cursu Calculi differentialis et integralis, tradet Mechanicam, ubi leges aequilibrii, parallelograma virium ac leges motus ope analyseos exponet.

CAESARIUS KAMIENSKI Phil. D. Universitatis Adjunctus, diebus Martis et Veneris ab hora IX. mat. ad XI^{mae} dimidium, Saturni autem die ab horae XI^{mae} dimidio ad XI. et dimidium, Trigonometriae sphericae expositis principiis, ac inde deductis formulis, ad quas calculi triangulorum sphaericorum tam rectangulorum, quam obliquangulorum sunt revocandi, perget ad solutionem omnium casuum, qui in triangulis occurrere possunt: his alias formulas trigonometricas commodiores superaddet. Quo peracto, orditur Cursum Astronomiae, in quo 1) notiones sphaerae coelestis ejusque circulorum, duce libro Joannis Sniadecki, ex phaenomenis a motu diurno et annuo telluris pendentibus depromptae explanabuntur; enumeratis illusionibus opticis, e revolutione diurna telluris circa axem suum et annua circa solem sequentibus, explicabit motum apparentem solis, horumque phaenomenorum causam generalem, atque ea, quae ex allatis phaenomenis consequuntur, uti sunt dies noctesve, eorumque diversa longitudo, vicissitudo tempestatum anni, solstitia et aequinoctia: dein de mensura temporis ejusque divisione et horologiis disseret. 2) Usum Trigonometriae sphaericae in calculandis posisionibus astrorum, varia applicando exempla ex observationibus astronomicis desumpta; artem observandi ac instrumentorum astronomicorum constructionem et usum indicabit. 3) Examini subjiciet phaenomena refractionis, parallaxeos, aberrationis, nutationis axis terrestris et praecessionis aequinoctiorum; eorum causam atque calculum ad determinandas veras positiones corporum coelestium. 4) Aggredietur systema mundi, ejusque ordine exposito, theoriam Planetarum primariorum et secundariorum nec non Cometarum tradet: motus scilicet eorum tam apparentes quam veros, leges gravitatis, secundum quas absolvuntur, inaequalitates ex mutuis perturbationibus oriundas explanabit. Problemata varia ad exploranda Planeta-

rum loca geocentrica et heliocentrica percurret: usum Tabularum Astronomicarum, earumque cum observationibus comparationem docebit et exemplis indicabit. 5) In tradenda theoria motuum lunae explicabuntur ejus phases, praecipua elementa ex observationibus astronomicis deducta; causae physicae, quae diversas inaequalitates in motu lunae producunt, ac phaenomena in motu telluris à gravitate lunae pendentia. Denique doctrinam eclipsium solis, lunae aliorumque satellitum, nec non occultationis astrorum per lunam, earumque calculum tractabit.

ROMANUS SYMONOWICZ Phil. et Med. D. Caesar. Soc. Mosqu. Scrut. naturae Sodalis, Universitatis Adjunctus, diebus Merc. et Sat. ab horae III^{iae} dimidio ad IV. pomerid. die autem Solis ab hora II. ad IV. pomerid. instituet cursum Mineralogiae. Incipiens ab historia Mineralogiae, exponet principia systematum mineralogicorum Clar. virorum Haüy et Werneri; ostendet, ubi haec systemata secum conveniunt, et in quo consistit magna ipsorum differentia, quam propter, plura mineralia, quae non sunt nisi varietates Mineralogo Gallo, constituunt species in systemate Mineralogi Germani, et è contrario. Exinde transibit ad expositionem signorum fossilium juxta Wernerum, ostendens simul signa crystallographica, quibus describuntur mineralia a Clar. Haüy. His praemissis tractabit Oryctognosiam, hoc est cognitionem fossilium simplicium, ostendens auditoribus fossilia juxta eorum classes, genera et species, et docens methodum cognoscendi ea juxta eorum signa externa, nec non qui est usus ipsorum, quae compositio chemica, quibusque in regionibus et in quibus mettalli fodinis reperiuntur. Post Oryctognosiam docebit Geognosiam, sive terrae cognitionem. Hic exponet argumenta, quibus probatur, globum terrestrem esse praecipitatum chemicum ex solutione simili solutioni in aqua, non vero ex solutione per ignem. Enucleabit doctrinam Wernerianam de stratis fossilium, quae constituunt terram nostram; de divisione fossilium in montes primarios, in montes transitionis, in montes stratificatos, in montes alluvionis et in montes vulcanicos; et in quibus praecipue horum montium reperiuntur fossilia metallica. Exponet theoriam Clar. Werneri de venis et stratis metallicis, de nidis et aliis modis existendi fossilium metallicorum in montibus. His omnibus addet doctrinam extrahendi fossilia mineralia ex terra.

Diebus Mart. Jov. et Sat. ab horae XI^{mae} dimidio ad XII. Topographia tradetur, methodusque delineandarum geometrice positionum ad usus civiles, oeconomicos et militares accomodata, exponetur à Magistro ad hoc munus designato.

II.

PRAELECTIONES MEDICORUM.

AUGUSTUS BECU Phil. et Med. D. Reg. Soc. Litt. Varsov. et Jenner. Londin. Sodalis, Pathologiae et Hygienae Prof. P. O. diebus Lun. Merc. Jov. et Sat. ab hora IX. usque ad XImae dimidium, exponet cursum Pathologiae generalis et specialis sua elementa secuturus. Mensibus aestivis, diebus et horis serius designandis, praemissis notionibus physiologicis, Hygienam popularem docebit, Clericorum Seminarii Vilnensis usibus praecipue accommodatam. Demonstrationes quoque Pathologicas ad lectulos aegrorum in Nosocomio Charitatis tyronibus medicinae tradet, bis in hebdomade.

FERDINANDUS SPITZNAGEL Med. et Chir. D. Caesar. Soc. Mosqu. Scrutat. nat. Sodalis, Therapiae generalis et Materiae medicae Prof. P. O. diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris ab horae XImae matutinae dimidio usque ad XII, Therapiam generalem ita docebit, ut Materia medica generalis ordine scientifico cum illa conjungi possit. Huic generales formularum medicarum (Recipe) conscribendarum regulas, proprio tractatu absolvendas, subjunget. His absolutis, Materiam medicam specialem percurret, dijudicaturus singula pharmaca tam simplicia, seu cruda, seu praeparata, quam composita, quae in potioribus Europae pharmacopoeis prostant; paulo fusius enumeraturus, quae Lithuaniae sunt indigena, aut quae Lithuanorum climati et vitae rationi magis conveniunt. In Toxicologia venenorum cognitionem, noxam, curam, eorumque, si quis est, usum demonstrabit.

JOANNES FRIDERICUS NISZKOWSKI, Med. et Chir. D. Scholae Med. Paris. nec non Soc. Jtal. Sodalis, Chirurgiae Prof. P. O. diebus Lun. Mart. Jov. et Ven. ab horae IIItiae dimidio ad IV, exponet doctrinam de morbis externis, illis praecipue, quorum curatio applicationem manus aut operationem chirurgicam exigit: hasce operationes demonstrabit in subjectis mortuis aut etiam vivis, prout se se offeret occasio, in Jnstituto Clinices Universitatis, vel in nosocomiis externis.

ANDREAS MATUSEWICZ Phil. et Med. D. Artis Obstetriciae Prof. P. O. ejusdem artis cursum theoretico-practicum peraget, diebus Martis et Veneris ab hora IX. usque ad X. et dimidium coram feminis obstetricibus; diebus autem Mercurii et Saturni ab horae VIIIvae dimidio usque ad IX. coram viris.

JOANNES WOLFFGANG Phil. D. Reg. Soc. Oecon. Varsov. So-

dalis, Pharmacologiae et Pharmaciae Prof. P. Extraord. diebus Lunae, Martis et Jovis ab h. II. pomer. ad III et dimidium, tradet doctrinam de Pharmacis simplicibus seu Pharmacologiam; in qua, demonstrans auditoribus omnia producta naturalia, in pharmacopoliis conservari solita, exponet eorum signa characteristica, indolem, patriam, tempus et rationem acquirendi, vel colligendi, nec non conservandi; atque his omnibus adjunget criteria, quorum ope medicamenta bonae notae a falsis et pravis distingvi queant. In doctrina de Medicamentis compositis seu Pharmacia statuet imprimis regulas, quae vel expeditionem formularum a Medicis praescriptarum, vel calculi artem in pharmacopoliis tenendam, vel denique ipsos Pharmaceutas proxime spectant. In descriptione cujuslibet praeparati pharmaco-chemici normam praeparandi indicabit, operationes pharmaceuticas in Laboratorio instituet, theoriam earum et singulas proprietates tam physicas quam chemicas docebit, ut omni in casu bona indoles dati pharmaci, vel circa illud fraus commissa, ope reagentium detegi possit.

NICOLAUS MIANOWSKI, Phil. Med. et Chir. D. Universitatis Adjunctus, die Martis ab hora IX. ad XImae dimidium, diebus vero Mercurii et Saturni ab horae XImae dimidio ad XII, ope dissectionum anatomicarum, structuram corporis humani atque singularum ejus partium situm, indolem et nexum demonstrabit, quarum simul functiones et usum, respectu physiologico, ita exponet, ut auditores anni scholastici decursu integram Anatomiae et Physiologiae doctrinam absolvere possint.

Diebus Lun. Mart. et Jov. post meridiem ab h. IIItiae dimidio ad IV et dimidium repetitiones anatomicae; diebus autem Mart. Merc. Jov. et Sat. ab h. IV. usque ad VI. vespert. Studiosorum exercitia in dissectionibus anatomicis, instituentur a Magistro ad hoc munus designato.

III.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORUM SCIENTIARUM MORALIUM ET POLITICARUM.

JOANNES HENRICUS ABICHT, Phil. D. et Logices Metaphysicesque Prof. P. O., primam Psychologiae partem, quae animae vires earumque naturam, mentis ergo sive vis cognoscendi, cordis vel sentiendi vis, animique seu voluntatis leges demonstrat, sexies per hebdomadem docebit. Qua absoluta, eoque ipso omnis reliquae Philosophiae fundamento posito, 1) per septimanam ter in e-

narranda altera Psychologiae parte perget; de limitibus igitur disseret, quibus mens humana in rebus cognoscendis circumscripta suapte iam natura est, simulque fontem summorum principiorum aperiet. Quatuor dein disciplinas, quas Metaphysicam vocare in consvetudinem abiit, proponet, videlicet unam, quae quid de mundi elemento, quod Ens, Monadem etiam et Atomum dixerunt; alteram, quae, quid de Universo, et sola quidem natura animae cogente, statuendum sit, explicat; hanc vero utramque doctrinam applicabit denique ad tertiam, quae animae, tanquam Entis peculiaris, aeterna, ideoque immortalitatem illius, ostendit; et ad quartam, quae, Ens quoddam summum mundi Creatorem esse, probat. 2) Ter autem quaque hebdomade Anthropologiam tradet, quae in animae status varios, horumque causas, nexus et signa inquirit. Scholas suas istis, quos diximus, diebus ab hora IV ad V. et dimidium usque habebit, atque in earum quaque commentarios proprios sequetur.

SIMON MALEWSKI Phil. et Iur. Civ. D. Ordinis hujus Decanus, Iuris Naturae et Gentium Prof. P. O. diebus Martis, Jovis et Saturni ab horae VIII^{vae} matut. dimidio ad IX, Mercurii autem et Veneris diebus ab hora VIII ad IX docebit Ius naturae, Ius naturale politicum et Ius naturale Gentium, comprehensurus his tractatibus ea omnia, quibus societates humanae, civiles et politicae, stabiliuntur; speciatim vero exponet principia iustitiae atque obligationum socialium: ducibus Compendiis Godofredi Achenwall latino et Hieronymi Stroynowski vernaculo sermone ad usum Auditorum typis vulgatis, quibus celebriorum auctorum placita subjunget.

ALOYSIUS CAPPELLI Phil. et I. U. D. Iuris civilis et criminalis veterum et recentiorum celebriorum Gentium Prof. P. O. diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora XI—XII Institutiones Iuris Civilis NAPOLEONEI traditurus, postquam de iis, quae ad partem generalem pertinent, de Legibus nempe earumque objectis egerit, partem specialem, Systema Iuris NAPOLEONEI continentem, aggredietur; qua in pertractanda 1) de Personis, 2) de Rebus, 3) de acquirendo rerum dominio perquam fuse disseret, legum omnium causas et originem aperiendo. — Idem cum superiori anno crimina et poenas generatim expenderit, ac principia indicaverit, quae in poenarum usu tenenda videntur; hoc anno, diebus Martis et Saturni hora eadem, delicta speciatim ac poenas enarrabit, quibus unumquodque crimen tum olim apud Romanos, tum hodie in Imperio Gallico ex novissima criminali Constitutione punitur.

PHILIPPUS NERIUS GOLANSKI Phil. et Theol. D. SS. Litterarum et Eloquentiae Sacrae Prof. Publicus, nuper Emeritus renuntiatus, futuram Ordinarii electionem

praestolando, munus illius ad aliquod tempus suppleturus, solitis diebus et horis, libros Prophetarum et Psalmorum, eosque, qui nomine Sapientiae veniunt, evolvendos explicandosque eo modo, quem hactenus tenuit, in se suscipit: nimirum ut propugnandae Veritati ac Christianae morum doctrinae potissimum servire possit.

AUGUSTINUS TOMASZEWSKI Phil. et Theol. D. Theologiae Dogmaticae et Historiae Ecclesiasticae Prof. P. O. Discussis questionibus de re Sacramentaria, quas anno superiori plene perpendere et enodare per tempus non licuit, explanabit opus celebratissimum Melchioris Cani Episcopi Canariensis de Locis Theologicis, (omissis paucis vel immutatis): quo ad finem perducto, accinget se ad expositionem tractatus de Ecclesia Honorati Tournely, qui, eruditorum iudicio, hac in re caeteris praelectionum scriptoribus palmam praeripuit. Simili ratione cum etiam ex Historia Ecclesiastica postremorum temporum remanserint nonnulla fusius omnino discutienda, his omnibus diligenter, ut par est, perpensis, retro ad expositionem priorum quinque Ecclesiae saeculorum Historiae gradum faciet, praeeunte Natali ab Alexandro et Claudio Fleury, ut hujus scientiae Candidati, facta rerum comparatione, edoceantur perspectumque habeant, quibus mutationibus Ecclesia nostra Catholica spatio octodecim saeculorum firmissime constanterque restitit, quas vero pro opportunitate temporum et exigente bono Ecclesiae, salva CHRISTI Domini et Apostolorum doctrina, fieri permisit, imo et Ipsa aliquando inducendas curavit. Dies et horae praelectionum eaedem ac anno elapso.

JOANNES CANTIUS CHODANI Theol. D. Theologiae Moralis ac Pastoralis Prof. P. O. diebus Lunae, Mercurii, Veneris ac Saturni ab horae VIII[ae] dimidio ad IX, universam doctrinam Moralem Christianam novo cursu enarraturus, hoc anno, praemissis, quae hujus disciplinae naturam, utilitatem, fontes, adminicula et historiam attinent, ad contemplandas hominis facultates cum physicas, tum potissimum morales perget, legesque, quas natura humana in virium harum usu et exercitatione observat. Derivatis hinc notionibus generalibus actionis humanae, libertatis, legis moralis, obligationis, conscientiae, virtutis, vitii seu peccati, imputationis, felicitatis ac finis hominis ultimi, positisque generalibus totius doctrinae Moralis principiis; singula haec ad disciplinam moralem Christianam in specie applicabit. Tandem de officiis Christiani ad Deum relatis, cum internis tum externis, disseret.

JOANNES ZNOSKO Phil. D. Reg. Societ. Litter. Varsov. So-

dalis, Universitatis Adjunctus et Secretarius, diebus Martis et Veneris ab hora IX. ad X et dimidium, tradet Oeconomiam Politicam ad Compendium vernaculo sermone a se vulgatum, Theoriam Adami Smith potissimum secuturus, quam adjectis recentiorum in hac scientia scriptorum opinionibus, ac disquisitione diversorum in ea pertractanda systematum illustrare sibi proponit.

SIMON FELIX ŻUKOWSKI Universitatis Adjunctus, diebus Martis et Jovis ab horae VI^tae dimidio ad VII pomeridianam, Linguae Hebraicae praecepta tradet, tironibus Chrestomathiam Vateri, provectioribus vero Anthologiam Fessleri Hebraicam explicabit. Praeterea tradet Archaeologiam Biblicam, seu doctrinam Antiquitatum Hebraicarum, duce Joanne Jahn.

IV.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORUM LITTERATURAE ET ARTIUM ELEGANTIORUM.

EUSEBIUS SŁOWACKI, Eloquentiae et Poeseos Prof. P. O. diebus Lun. Mart. Jov. et Sat. ab hora III pomerid. ad IV. et dimidium, praelectiones suas, ab Aesthetica seu doctrina ex Philosophia pulchri in scientias et artes amoeniores deducta, exordietur. Praemissis dein elementis Grammatices universalis, iisque in analysi linguae Polonicae explanatis, disseret de arte bene dicendi et scribendi, totamque disciplinam elocutionis oratoriae, et praecipue singula praecepta, quae linguam Polonicam spectant, uberius tractabit. Peracto hoc cursu, ad Poesin, postremo vero ad Eloquentiam transibit, expositaque cujusvis definitione ac natura, varia tam Poeseos quam Eloquentiae genera pertractaturus, nec non omnia ad sermonem et Polonorum Litteraturam referens, historiam litterariam cum critica clariorum auctorum, qui vernaculo sermone scripserunt, tradet.

GODOFREDUS ERNESTUS GRODDECK Phil. D. Soc. Reg. Goetting. Correspondens, Linguae et Litterarum Graecarum et Romanarum Prof. P. O. quater per hebdomadem h. X—XII diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, Pindari Nemea et Isthmia et Demosthenis Or. pro corona, Horatii Sermones et Epistolas, ac Ciceronis Oratorem ennarabit; bis autem, Mercurii et Saturni diebus h. X. Historiam Litterarum Romanarum, et h. XI. Archaeologiam, sive de artis antiquae monumentis, quae supersunt, potioribus atque historia doctrinam, utramque ad dictata sua, hanc autem Franco-Gallorum lingua exponet.

JOSEPHUS SAUNDERS, Acad. Art. Petropol. et Stockholm Sodalis, Chalcographiae, Artium Elegantiorum, Litteraturae ac Litterarum Anglicarum Prof. P. O. 1) Lun. et Ven. diebus ab horae VI^{tae} dimidio usque ad VII. vespert. praemissa vocabulorum in artibus tradendis receptorum explicatione, Gallo-Francorum utens sermone, artium liberalium disquiret initia, incrementa, florem, vicissitudines, interitum, primo apud veteres populos, maxime apud Indos, Hebraeos, Aegyptios, Persos, Etruscos, Graecos, Romanos, tum renata earum studia in Italia, et quae mox ibi exstiterunt, scholas diversas; porro artium indolem atque fata in Germania, Belgio, Hollandia, Gallia, Hispaniis, Anglia, Dania, Suecia, Polonia et Rossia, persequetur: deinde singularum artium, ut Sculpturae, Picturae, Chalcographiae, vim ad humanitatis, morum, vitaeque cultum declarabit, variosque usus indicabit, quos politicae, rerum commerciis, historiae, litterarum studiis, omnino illae adferre putandae sint; postremo disseret de iis, quae in optimo ipsorum artium cultore desiderantur, deque vi, quam in easdem diversi coeli tractus exercent. 2) Martis et Jovis diebus itidem ab horae VI^{tae} dimidio ad VII. nunc Franco-Gallorum, nunc Anglorum vicissim lingua utens, Litteraturae Anglicae cursum persequetur, ac primo Dav. Humii History of England; deinde vero Popii Essay on Man et Goldsmith Traveller explicabit. 3) Artis Chalcographicae studiosorum exercitationes reget quotidie, Solis caeterisque festis diebus exceptis, ab hora VIII. mat. usque ad meridiem.

PHILIPPUS NERIUS GOLANSKI Phil. et Theol. D. SS. Litterarum et Eloquentiae Sacrae Publicus Professor, nuper Emeritus renuntiatus, solitis diebus et horis, praemissis sacrae praesertim Eloquentiae praeceptis, orationibus sacris pro concione, tam diebus festis, quam dominicis per annum, et subinde pro opportunitate locorum quoquo demum tempore habendis, ac tandem funebribus materiam suppeditabit: neutiquam exercitationibus in dicendo et praxi auditorum defuturus.

ALOYSIUS CAPPELLI, Ordinis hujus Decanus, Juris Civilis et Poenalis nec non Linguae et Litterarum Italicarum Prof. P. O. coeptam superiori anno philosophiae, litterarum humaniorum et artium liberalium, quibus Itali inclaruere, historiam criticam persequetur, diebus Lunae et Veneris hora V—VI. Die vero Mercurii hora eadem, Linguae Italicae praecepta per regulas summatim conceptas exponet.

JOANNES RUSTEM, Artis delineandi Prof. P. E. omnibus diebus per hebdomadem ab hora V. vespertina ad VII regulas Artis delineandi tradet et explicabit; ad lam-

padis quoque lucem discipulos, tam ex antiquis quam anatomicis figuris, deinde de vivo exemplari, formas ducere exercebit.

SIMON FELIX ŻUKOWSKI Universitatis Adjunctus, diebus Lunae et Mercurii ab horae VI^{tae} dimidio ad VII. pomeridianam, Grammatices Graeci sermonis expositioni subjunget interpretationem Chrestomathiae Jacobsii. Praeterea Luciani libellos duos, qui inscribuntur de mercede conductis et Rhetorum praeceptor interpretabitur.

BENIAMIN HAUSTEIN, Univers. Adjunctus, diebus Lunae et Mercurii ab horae IV^{tae} dimidio ad V. Linguae Germanicae praecepta tradet, et Historiam Polonicam auctore Waga germanico sermone interpretabitur; Vener. autem die, eadem hora, historiam Poeseos et Scriptorum Germanorum, qui excelluere, exponet. Idem diebus Lun. Merc. et Ven. h. V—VI Elementa Linguae Anglicae docebit.

Artem Musicam theoretice et practice tradet JOANNES DAVID HOLLAND, ad Elementa sua vernaculo sermone vulgata, diebus Mart. Jov. et Sat. h. III—IV pomer.

Artes Gymnasticas, cum saltationis, tum rudibus vel pugnatoriis armis batuendi, publice docebunt harum Artium Magistri, diebus et horis designandis.

Bibliothecam Academicam aperient diebus Lunae Mercurii et Veneris hora III—V. GODOFR. ERN. GRODDECK Bibliothecae Acad. Praefectus, Custodesque Bibliothecae Acad. STANISLAUS BAKOWSKI, SIMON FELIX ŻUKOWSKI Universitatis Adjuncti et ANDREAS LEWICKI Phil. D.